

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0669

0667

0673

0663

0678

0658

0718

0618

0768

0568

0168

96

imo propriam dormitionem negligunt. Et exemplo horum aliqui simplices mechanici acceptis carbonibus sua ignota nomina et suae rusticitatis signa parietibus apponunt. Sed et clerici et religiosi quidam symea fatuitate depravati idem faciebant et cum incausto, quod ad sancta loca consignanda secum tulerunt, parietes deturpabant. De omnibus his miror, quod non considerarunt vulgare dictum, quod etiam pueri suis coaequalibus objiciunt, dicentes: Narrenhend beschifsen den Iuten die wend; Stultorum manus deturpant latera domus. Si ergo stulti sunt secundum illud proverbium populare, qui maculant hominum parietes, vere stultiores aestimandi sunt, qui parietes domus Dei et loca dominica maculare praesumunt; stultissimi vero dicendi sunt, qui scuta et arma sua imaginibus Dei et beatæ Virginis Mariae, sanctæ crucis et electorum Dei superdepingunt vel affigunt; cum tamen frequenter nobilium insignia sint figuræ aliquarum animalium, vel larvatae facies, aut monstruosæ species, aut inanis colorum aut figurarum ordo, quæ omnia ab antiquis idololâtris et gentilium stultissimis diis plenè daemoniis sunt accepta. Sicut legimus, quod duo filii Osiridis, Anubis et Macedo, peragrantes et vexantes orbem, quorum primus canem, alter lupum suis armis expressos ferebant, et undique templis constructis affigebant in caeterorum deorum contumeliam: sic etiam per nostros nobiles factum est in ecclesia dominici sepulchri, cujus (BB) parietes jam confusi stant propter scuta appensa super picturas. Per circuitum enim rotunditatis erant olim parietes musaico opere decorati, sed milites et nobiles imaginibus et pretiosis picturis non parcentes sua scuta appenderunt, quibus Christi et beatæ Virginis imagines velaverunt et clavis perforaverunt. Hujus despectus suscitavit Dominus ultorem, quadam namque vice venit rex Egypti, Soldanus, Jerosolymam, adorare in templo suo, quod nominant Salomonis, et oratione finita ascendit in Anastasim i. e. in ecclesiam dominicæ resurrectionis, ut et ibi oraret; et cum circumspiceret et ecclesiæ magnitudinem et ornatum miraretur, vidit scuta nobilium parietibus affixa et picturis super inducta, et cum cognovisset, cujus rei gratia ibi penderent, iratus est valde et cogitavit istam Anastasim totam ad solum deducere, nisi Deus immutasset mentem ejus.

Ende

Anfang